

AUCTORUM
PRÆFATIO.



Uamquam Medicinalis Codicis editionem, quem Taurinenses Pharmacopœi, caterique in hac regione universa sequerentur, utilissimam ac prope necessariam fore majores nostri existimaverint; tamen, cum ejusmodi magnum ac perdifficile opus esse animadverterent, posteris id omnino relinquendum putarunt. Nos etiam in ea dudum cogitatione versati, eademque rei difficultate absteriti sumus; & quam multorum sæpe consilij impulsu refugimus provinciam, jubente demum AUGUSTISSIMO REGE suscepimus. Qui enim medicamentarios codices eos tradunt in manus hominum, unde arbitrio suo arripiat quisque quod velit; rem minime arduam aggredi, unumque Scriptoribus commune discrimen subi-

P R Æ F A T I O.

subire videntur. Tales vero officinalia pharmaca
 seligendi, preparandi, & una commiscendi ratio-
 nes, tamquam leges, constituere, quibus observan-
 dis astringi omnes debeant, qui artem eam profiten-
 tur; hoc multi sane consilij, & laboris, idemque
 plenum periculi negotium est. Plurima nos quidem
 ex ijs medicamentis, quorum antiquus & frequens
 hic usus esset, nihil temere immutantes, retinere stu-
 duimus; vana quadam & inania, vel noxia reje-
 cimus; alia ab optimis Medicis commendata addi-
 dimus; insuper tum Galenica, ut ajunt, tum chy-
 mica consificiendi brevem rectamque viam docere;
 atque omnia denique ad certum quemdam ordinem
 redigere conati sumus: quæ utinam Doctorum &
 experientium virorum judicio probentur. Sed quan-
 do hæc provide considerateque acta esse videantur,
 qui fieri tandem potest, ut eorum vitemus convicia,
 qui copiam, & quasi silvam multiplicium rerum
 mixtura, varietateque confertissimam requirant?
 qua nihil ad morbos humani corporis innumerabiles,
 tamque inter se dissimiles utilius, nihil commodius
 esse arbitrentur. Sint aliqua licet in compositis phar-
 macis, quorum inopiam immerito reprehenderint;
 plura hi nihilominus in Sirupis, Electuarijs, Pulve-
 ribus, Pilulis, Trochiscis, & reliquo genere toto de-
 side-

P R Æ F A T I O.

siderabunt. Hos autem, si qui sunt, ex quorum animis tam penitus insita opinio evelli non queat, ad Pharmaceuticas Bibliothecas, & amplissima quadam Dispensatoria, vel Antidotaria, ut vocant, vetera & nova mittamus. Quid, si alij e contrario vel nimia in hunc librum nos contulisse dicant? quippe qui diuturna experientia noverint perpaucis, delectisque remedijs feliciter percurari agros & convalescere. Profecto inutilia quaecumque nobis visa essent, in communi tamen existimatione, usuque posita, non prorsus omnia abiicimus. Ecquis vero ea funditus tollere, tantaque hujus credulitatis errorem ab hominum mentibus depellere umquam potuit? Neque atate nostra, qui renovandis Pharmacopœis sapientes doctissimique viri operam dedere, eadem repudianda omnino esse censuerunt. Ac talia demum innocua fere medicamenta sunt, quæ propter nominis aut usus antiquissimi auctoritatem hic retinenda duximus; vel tantummodo commemoravimus, & ad proprias classes idcirco retulimus, ut eadem, si quis usurpare aliquando velit, componendi normam in promptu habeat. Atque hæc in primis, quemadmodum tradidimus, non magno opere sumptuque comparantur, ut inanes quadam Aquæ stillatitiæ, quæ pro veteri consuetudine frequentius ad-

hi-

P R Æ F A T I O.

hibentur. Ex simplicibus quoque litterarum ordine distributis in prima parte Operis non pauca sunt, quibus certe quidem carere possumus; sed omnium, quæ in medicinalibus numerantur, utilis cognitio est. Itaque synonyma, quibus opus esset, passim adjecimus; tum plerisque exteris eas notas, quibus sincera & optima a pravis falsisque discernantur: quod junioribus saltem Pharmacopœis percommoium fore arbitramur. Porro Simplicibus nonnullis, ad præcavendos errores, apposita dosis est, non ea quidem summa, sed quæ adulto homini fere conveniat; itemque Compositis, consueta licet dosis maneat ijs etiam, quorum ratio utcumque immutata est; ne Pilulis quidem exceptis, in quibus vini spiritum, quominus mucorem ex vetustate contrahant, in sirupi locum subrogavimus.

De ceteris, quæ hic admonenda esse videntur, nimis longum est singulatim dicere, minimeque necessarium. Etenim, cur, alijs medicamentis posthabitis, alia recepinus; cur in his præparandis & componendis a vulgari more nonnumquam defleximus; facile intelliget quisquis medicinalium rerum peritus ad hunc Commentarium attente perlegendum accesserit. Idemque erratis veniam eo libentius dabit, quod nunc primum difficile hoc opus edendum nec
spon-

PRÆFATIO:

sponte nec ambitiose suscepimus . Nostris autem imitanda posteris exterarum nationum exempla relinquimus , apud quas antiqui Codices ejusmodi semel ac saepius correcti auctioresque in lucem prodierunt . Quamquam nostrorum quidem hominum cura operaque hunc longe meliorem , utilioremque patriæ , nihilo tamen ampliorem auguramur .



Appr